INDEX LECTIONUM

IN

ACADEMIA ALBERTINA

FRIDERICO GUILIELMO

HEREDE MONARCHIAE

ACADEMIAE ALBERTINAE RECTORE MAGNIFICENTISSIMO

PER HIEMEM

ANNI MDCCCLXVIII. A. D. XIV. OCTOBRIS

P. P. O.

INSTITUENDARUM.



Praemissae sunt L. Friedlaenderi observationes miscellae.

Regimonti Pr.

Typis Academicis Dalkowskianis.

MDCCCLXVIII.

ACADEMIAE ALBERTINAE PRORECTOR

Dr. EDUARD LUTHER.

PHILOS. DR. P. P. O.

Prooemium.

1. O. Lorenz in praefatione Mostellariae Plautinae a se editae p. 17, 20 recte observavit, de divisione palliatarum in actus nihil constare, quum notissima illa Horatii verba A. P. 189 (neve minor neu sit quinto productior actu Fabula) ad solas tragoedias pertineant. Ipse palliatas in ternos actus divisas fuisse arbitratur. Poterat ad hanc sententiam comprobandam luculentissimum testimonium afferre ex Ciceronis Epp. ad Qu. Fr. I 1, 15, 46: Illud te ad extremum et oro et hortor, ut tamquam poetae boni et actores industrii solent, sic tu in extrema parte et conclusione muneris ac negocii tui diligentissimus sis, ut hic tertius annus imperii tui tamquam tertius actus perfectissimus atque ornatissimus fuisse videatur. Ubi tertium actum extremum esse apparet.

2. In Martialis epigrammatis nonnunquam extrema versuum vocabula in omnibus libris corrupta sunt. Ita XII 32, 11—13 omnes, ut videtur, libri haec habent:

Ibat tripes grabatus et bipes mensa,
Et cum lucerna corneoque cratere
Matella curto rupta latere mejebat;

ubi in secundi versus clausula offendimus, nam quis unquam de corneo cratere audivit? Non dubito quin legendum sit: corneaque laterna. Cf. XIV 61 (Laterna cornea) et 62 (Laterna de vesica): Cornea si non sum, numquid sum fuscior?

3. In Plinii epp. IV 13, 5 cod. Mediceus haec habet: Quantulum est ergo collata pecunia conducere praeceptores, quodque nunc in habitationes, in viatica, in ea quae peregre eruuntur (omnia autem peregre emuntur) impenditis?

Non recte puto Keilium verba parenthesi inclusa ejecisse. Sententia est, peregre nihil gratis dari, ut Juvenalis III 183 omnia Romae Cum pretio esse dicit. Exempla vocabulorum a Plinio simili modo repetitorum composuit Cortius ad IV 7, 2 et VIII 24, 2.

4. Lucian Peregrin. Prot. 13: *ἔπειτα δὲ ὁ νομοθέτης ὁ πρῶτος ἔπεισεν αὐτούς* (Christianos), *ὡς ἀδελφοὶ πάντες εἶεν ἀλλήλων, ἐπειδὰν ἅπαξ παραβάντες θεοὺς μὲν*

τοὺς Ἑλληνικοὺς ἀπαρνήσωνται, τὸν δὲ ἀνεσκολοπισμένον ἐκεῖνον σοφιστὴν αὐτῶν προσκυνῶσι καὶ κατὰ τοὺς ἐκείνου νόμους βιῶσι. καταφρονοῦσιν οὖν ἁπάντων ἐξ ἴσης καὶ κοινὰ ἡγοῦνται, ἄνευ τινὸς ἀκριβοῦς πίστεως τὰ τοιαῦτα παραδεξάμενοι. Ita libri. Ultima quum sensum non habeant, Fritzschius ante *ἁπάντων* inseruit *τῶν ἰδίων*. Mihi contra non dubium videtur, quin *ἁπάντων* ad deos Graecos referendum sit, quos contemnendos esse Christus docuit: hanc igitur doctrinam Christiani quamvis argumentis et rationibus minime confirmatam, pro vera accipiunt. Quod si ita est, verba *καὶ κοινὰ ἡγοῦνται* eicienda esse apparet; videntur autem ab aliquo qui illud *ἁπάντων* male intellegeret, in margine adscripta fuisse.

5. De Cassio illo Maximo, cujus monitu Artemidorus libros suos de somniorum interpretatione scripsit, nemo ex editoribus quidquam adnotavit. Operae igitur pretium erit observasse, eundem hominem etiam ab Aristide commemorari. Ad Capitonem p. 315 Jebb. ed. Dindorf. II 415: *ἀνὴρ τῶν ἐκ τῆς γερουσίας τῶν Ῥωμαίων, Λίβυς τὰ ἀρχαῖα Μάξιμος τοὔνομα, ἄξιος ὅτου βούλει, φασὶ δὲ οἱ ταῦτα δεινοὶ καὶ ῥήτορα αὐτὸν ἐν πρώτοις εἶναι Ῥωμαίων, οὗτος τοῖς τε Δημοσθένους λόγοις προσέκειτο ὑπερφυῶς καὶ οὐκ οἶδ' ὅντινα τρόπον καὶ τοῖς ἡμετέροις ἑάλω τούτοις· συμφοιτῶν τε εἰς Ἀσκληπιοῦ καί φιλοκαλίας ἐλλείπων οὐδὲν συνῆν ἐμοὶ καθ' ἑκάστην ἡμέραν κατὰ τοὺς λόγους.* Etenim Artemidorus non modo eloquentiam Maximi sui identidem summis laudibus effert, sed etiam Punicam Orginem diserte indicat II 70: *καὶ γὰρ εἶναι τινὰ Λυδοῖς προξενίαν πρὸς Φοίνικας οἱ τὰ πάτρια ἡμῖν ἐηγούμενοι φασίν.*

6. In columbario libertorum et libertarum Anni Pollionis (de quo v. Nipperdeium ad Tac. A. VI 9) prope viam Appiam detecto inventi sunt hi tituli (Borghesi Oeuvres IV 477): C. ANNIVS. C. L. | LEPOS. VIXIT. ANNIS. XXVIII | OBIIT. VII. IDUS. APRIL. C. CAESARE | L. PAVLLO. COS. HIC. SITVS. ADQVIESCIT et THYMELE. ANNI. POLLIONIS.

Utrumque nomen in eorum numero est, quae artifices scenici frequentabant: qua de re v. quae composui Darst. aus d. Sittengesch. II 459 sqq.; Thymele mima ex Juvenalis satiris, Lepos saltator ex Horat. Sat. II 6, 70 notus est. Unde non sine veri similitudine etiam Anni libertum et servam scenicos fuisse suspicabimur. Quum autem Horatii Satt. l. II non post annum 726 editus esse videatur, Annius Lepos, qui a. 754 obiit duodetriginta annos natus, ab eo diversus est, quem Horatius commemorat.

I. SCHOLAE THEOLOGORUM.

1. *Professorum ordinariorum.*

RUD. FRID. GRAU, theol. Licent. P. P. O. quintus, Decanus.
I. Publ. Doctrinam de persona Christi exponet die Merc. h. III.
II. Privat. 1) Tria priora evangelia interpretabitur quinquies p. h. h. XI.
2) Introductionem in libros N. T. quinquies p. h. tradet h. XII.

FRIDER. LUDOV. SIEFFERT, phil. et theol. Dr., P. P. O. primarius, Facult. Theol. Senior.
I. Publ. Theologiae moralis selecta capita examinando et disputando cum commilitonibus pertractabit die Mercurii h. IX.
II. Privat. Theologiam symbolicam docebit quinis diebus h. IX.

JOAN. GEORGIUS SOMMER, theol. Dr., P. P. O. secundus.
I. Publ. Selecta capita Deuterojesaiae bis die Saturni h. XI et XII interpretabitur.
II. Privat. 1) Specialem in libros V. T. introductionem historico-criticam quinquies h. XII tradet.
2) Psalmos quinquies h. XI explicabit.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem V. T. exegetico-criticam h. V et VI die Veneris moderari perget.

HENR. GUIL. ERBKAM, theol. Dr., P. P. O. tertius.
I. Publ. Historiam dogmatum christianorum inde a reformationis tempore diebus Martis et Veneris h. V exponet.
II. Privat. 1) Historiae ecclesiasticae partem posteriorem quinquies h. X tradet.
2) Theologiam moralem quinis diebus h XI proponet.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem historicam moderari perget h. VI et die Lunae.

HENRICUS JO. MATTH. VOIGT, theol. Dr. P. P. O. quartus.
I. Publ. Introductionem in dogmaticen christianam tradet diebus Lunae et Jovis h. IV.
II. Privat. 1) Dogmaticen christianam docebit sexies p. hebd. h. IX.
2) Historiae ecclesiasticae partem priorem tradet quinquies p. hebd. h. X.
III. Privatissime et gratis. Seminarii theologici sectionem exegetico-criticam N. T. dirigere perget die Martis h. V et VI.

H. JACOBY, P. P. O. design.
I. Publ. Pericopas ecclesiasticas ad usum homileticum interpretabitur scholis ternis diebus Lunae, Mercurii, Jovis h. V.
II. Privat. Theologiam liturgicam quater h. VIII docebit.
III. Privatissime et gratis. Exercitationes Seminarii homiletico-catechetici moderabitur die Mercurii h. V et VI.

2. *Professoris extraordinarii.*

LUD. AUG. SIMSON, phil. et theol. Dr., P. P. E. design.
I. Publ. Linguae hebraicae exercitationes grammaticas instituet bis per hebd. hh. cc.
II. Privat. Librum Jobi interpretabitur quater p. h. diebus Martis, Mercurii, Veneris, Saturni h. IV.